

**Dissertatio de artis
poeticæ ab
imitatricibus aliis
differentia, ejusdem
im...**

Laurbecchius, Petrus Laurentii,

11 Ae



National Library
of Sweden

176
I. N. D. 7.

33.
Disp.
160

DISSERTATIO

DE

ARTIS POETICÆ
AB IMITATRICIBUS ALIIS
DIFFERENTIA, EJUSDEM IMI-
TANDI RATIONE GENUINA, ET ORA-
TIONE IMITATIONEM EF-
FINGENTE :

Quam

IN REGIA ACADEMIA ABOENSI,
Suffragio Amplissimi Collegii Philosophici;

P R Æ S I D E

VIRO Perquam Reverendo atque Praclarissimo,

M. PETRO LAURBECCHIO,
Poësis Professore Ordinario, & Alumnorum
Regiorum h. t. Inspectore,

Discussioni publicæ sistit

ELISÆUS E. WALD/ Ostro-Gothus,

In Auditorio Maximo, ad diem 3. Aprilis
Anno Christiano 1747. LXXX.

A B O Æ,

Excusa à JOHANNÉ WALD/ Acad. Typogr.



17-27

PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO,

DN. CLAUDIO
SPARRÆ/

Libero Baroni de Croneberg/
Domino de Hösrenne & Hömäki/&c
Domino meo propensissimo,

IMMORTALE NOMEN,
FELICITATEM PERENNEM,
SUCCESSUM PROSPERUM,
ET INGOLUMITATEM DIUTURNAM!



PERILLUSTRIS BARO,
DOMINE GRATIOSISSIME!



l benefacta verbis compensari possent, haud difficile esset bene meritis gratiam referre; nec & ego in tua de me merita excurrerem invitus, extollendo ingentem beneficiorum cumulam, haud obscuram propensione praestitorum. Sed tantum mihi exhibitum favorem, tantum benevolentiae adfectum, non aequipararet gratissima mentis mea declaratio. Salsa enim mola litant, qui thura non habent. Augustum Tuum vultum hoc rudi tamen calamo subire non vereor, ne vel ingrati notam, semper vehementer pertimescendam, mihi inducerem, si qualemcunque negligere occasionem, saltem contestandi, quantoperè tibi fuerim devinctus. Ad quod non vana fastus audacia, sed devotissima fiducia impulit. insignis tua benevolentia, & in illo dignitatis fastigio propè admirabilis humanitas, cujus ad me quoque radios haud obscurè diffudisti, provocavit minimè reluctantem. Nam cum plurimi more quodam soleant sibi gratulari de Magnatum favore ac Patrocinio, etiam mirabitur nemo, si et ego, eandem sequutus consuetudinem, de tuo mihi gratuler favore propensissimo; quem non incertis me signis expertum verè possum gloriari. Integrum, vel quod excedit, quadriennium, dum generosis fratribus tuis junioribus à studiis fueram, Tuusque commilito & convictor, id satis superque contestatur. Quo toto temporis curriculo, in te non scurrilis & vulgò in aulis usitata levitas, sed insignis sedulitas, dispositaque ad decorem suavitas undique conspiciebatur: cujus

Natu-

Natura bonitatem, ingenii promptitudinem morumq̄, concinnitatem, ut par, si extollerem aut dignè predicarem, non modò quid dicerem, sed quid dictu conducibile foret, abunde suppeteret. Hæc enim dum scribo, plura quæ scriberem occurrunt. sed supersedeo ijs recensendis, sterilitatem ingenij accusans, nè aut invidiosa magis, quàm grata forent, aut ingenita tua verecundia tadium magis quàm delectationem adferant, laudari hæc in os refugienti. Est & aliud, quod cùm ex propriâ non auderem industriâ, mihi præter opinionem factum est. Disputationem hanc Poëticam, vel ut ansam præbeat edendi fructus, in Parnasso hoc Auræico aliquo usque degustatos, vel ut haud insuetam mihi apud studiorum Patronos conciliet gratiam notitiamque, pro modulo suscepi defendendam, quæ quidem expectat à nullo nisi te, Illustrissime Juvenum, applausum & favorem, ut quæ animi mei grataque mentis perofficiosum documentum, ex iucundissimis Sapiëntia partibus desumptum; cum quibus & ipse irresolubile inijsti factus. Hoc tibi adscribo, tibi addico, non ut dignum sit tantam subire frontem, cum exiguum valde sit, nec dum specimen maturum. In debita tantum servitutis erga te mea exigua testificationem id facere non erubesco. Vale, Generosissime juvenum, Magnorum Parentum Illustrissima proles, diu feliciter, & tibi & mihi! qui hæc cupio voveoque ex animo,

Humillimus Tui Nominis

Cultor

E. Swahl.

Imitandi Modum quod attinet: cum omnes & Oratores & Historici, & quicumque Scriptores alii, hanc utilitatem præstare cupiant, quod scribunt docentque: *representando audientibus & legentibus*; eò assignare oportet diligentius, quod Poëta ab aliis differat. Est autem Poëtica Ars imitatrix, pingendi arti quasi ex alterâ parte respondens. Omnium enim sermone tritum, loquentis Pictura nomine Poësin, Picturam tacentis Poësis affici, Plutarchus loc. supra alleg. ait. *Tribus vetò Artes hujusmodi Imitatrices differunt, auctore Arist. Poët. c. 1. ἢ τῶ γενέει ἐπιπομπήσιν ὁμοίᾳ, ἢ τῶ ἐπιπομπῆ, ἢ τῶ ἐπέρας, καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον* h. e. *aut Imitando Simulacris genere diversis, aut Res diversas, aut Diversè & non eodem modo.* Et quidem duobus modis posterioribus, scilicet aut Res diversas imitando, aut *Diversè & non eodem modo*, non duntaxat Poëtica ab Imitatricibus, aliis, sed etiam in Poësi ipsâ complura Poëmatum genera invicem differunt, ut hoc Arist. Poët. c. 2. & 3. ostendit. Distant enim Actionum & Personarum, quas imitantur, qualitatibus, Tragedia & Comœdia; etiam universim, in Exegematicis, Dramaticis & Mixtis, diversè & non eodem modo fit imitatio. Isto primo igitur modo, nempe *Simulacris & organis imitando genere diversis*, magis certa Poëtica ab aliis artibus Imitatricibus differentia constituitur. Etenim, cum aliquæ talium numero, *aliæ harmoniâ imitentur*, aliæ utrisque, aliæ tantum figuris, *aliæ coloribus & figuris simul*; Poësis, et si aliquando ex diâis imitandi instrumentis aliqua aliunde admittit, ipsa tamen propriè & præcipuè *Imitationes Oratione effingit*, idque vel λόγους ψιλοῖς, id est, *nudis Sermonibus sine metro*, vel *Metris*, sive invicem mistis, sive uno eorum genere utendo, ut Poët. c. 1. Arist. docet. Confer his hinc Comment. meum in Analys. §. 6. Unde, cum *Imitari* sit alicujus similitudinem exprimere; *Effingere* autem dicatur, qui ad alterius formam fingens, quæcumque vult, *representat*: Poëtica ratio omnis in eo erit, ut rerū expressam oratione similitudinem, quomocunque placet, fingendo

Poëtica
Ars Imitatrix

quoniam
ab Imitatricibus
aliis differat.

fingendo repræsentet. Quod obscurius paulò Buchlerus In st. Poët. c. 2. exponens, Effingere, inquit, est imitari; nempe rem illam, cujus imago & similitudo fingitur: & qui imitatur, effingit quippiam. Minus enim sanè est Imitari, quàm Effingere; etsi, qui imitatur, effingit, & vice versâ. namque modum representandi liberum Effictor habet, Imitatore ad exprimendam em. similitudinem adstricto. Differt igitur Poëtica ab Imitatricibus reliquis. Veluti, (α) à Musicâ; quæ quidem Harmoniâ pariter ac Numero momenta circumstantiarum, pro ratione affectus, gestu aut verbis expressi, imitatur; Oratione autem Imitationes, vi suâ & ex se, non effingit. Etsi enim Poësis & Musica usu sibi deserviunt; Illa ab hac harmoniam accipiens, hæc verò ab illâ orationem aliquando numeris adstrictam (quare & Poësin, ut Musicæ partem, Augustinus & Beda, alique Patres, tradidère) non tamen sequitur inde earum mutua subiectio aut unitas. Si dignitatem aliquam velis, Poësis Musicâ in multis erit potior. Adis Hubmejer. Quæst. Phil. Dec. 2. disp. 9. q. 10. Deinde (β) à Saltatoriâ & Histrionicâ; quarum illa tantùm Numero imitatur, hæc verò Voce, gestu & vestitu; neutra autem oratione. de quarum usu in Poëtice tenendum, quod antè de Musicâ dictum est. Denique (γ) à Statuariâ & Pictoriâ; ut quæ Figurâ & Coloremateriali, tantùm rei imitandæ visibilem habitum & corporeum exprimunt; Poëtica verò, Oratione habitum duntaxat intelligibilem & notionalem repræsentat.

II. Cæterùm Imitationes hæ Poëtarum oratione effictæ, Sintne in Rerum per voces simplici designatione constitutæ? an in earum per circumstantias, aptis vocibus significanter expressas, effictione? controversiam hæc suam Scaliger fecit in Epinomide, Poët. l. 7. c. 2. Ille enim, etsi Imitationem rerum expressam Oratione, universe Poësis Finem appellat, pura Internum, Poët. l. 1. c. 2. & 5. Mediumque facit ad illum Ultimam, Docere cum delectatione. Ibid. c. 1. in Epinomidis

midis tamen loco allegato, quia *Artium*, quarum *instrumentum Oratio* est, omnes in *Imitatione* constituit, utique esse *imitationem in omni Sermone*, quia verba sint imagines rerum, asserit. quamquam *Effictione rei per circumstantias* significanter oratione expressas, plenior adhuc atque torosior effici *imitationem* concedit. Demum verò concludit, *Imitationem nec Poëtice finem* esse. Scaligerum etiam sequitur Casaubonus in de Satyric. Poës. Lib. 2. c. 5. Verum (α) Cum *Imitatio vera & propria similitudinis rei sit expressio*, ob id à compluribus vocabulo Imaginis explicata; *Oratio* sanè, quæ *alicujus per signa tantum representatio est*, nisi $\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha$, *Imitatio* non dicitur, ut neq; *Artes Oratione ejusmodi utentes* (quales sunt cæteræ Instrumentales, præter Poëticen) erunt imitatrices. Accedit (β) *Verba esse rerum tantummodo signa* nudè manifestativa, neutiquam verò *Imagines*. *Conceptibus* quidem inest, ut *signa* sint simulq; *Imagines*; *verbis* non item. Alioqui quot verba teneremus, tot sciremus res, verbis similitudinem earum exprimentibus; nec pueri opus picturis rerum haberent, ut quas depingerent satis vocabula. Quocirca neque *Artes*, simplici rerum designatione per voces contentæ, quas propterea *Sermocinales* dicunt, $\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha$ sive Imitatrices erunt, nec etiam *Imitatio verè proprièque dicta*, rerum per vocabula simplici designatione fieri poterit. Denique (γ) Ut solà *Effictione rei per circumstantias*, *verbis significanter expressas*, *Imitatio fieri Oratione* potest; etiam Instrumentales cæteras, præter Poëticen, et si Oratione utentes, nemo facile doctiorum inter $\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha$ seu Imitatrices genuinas agnovit: quare, ab *effictis oratione Imitationibus*, & Poëticen dici rectè *Imitatricem*, *ejusq; finem esse Imitationem*, consequitur. Quam in rem Scaliger Poët. lib. 1. c. 1. ait: *Poësim appellarunt, propterea quòd non solum redderet vocibus res ipsas, quæ essent, verum etiam quæ non*

Poësis,
non re-
rum per
voces
simplici
Designa-
tione, sed
Circum-
stantiarum
oratione
expressa,
rum Effi-
ctione,
imitatur.

essent, quasi essent, & quomodo esse vel possent vel deberent, representares. Quamobrem tota in Imitatione sita fuit.

Rationū
contrari-
arū solu-
tio Obj.

Resp.

12. Nec obstant Argumenta, quibus Scaliger in Epinomide, ubi suprā, in contrarium pugnat. Utiq; non (1) Poeta finem esse, Docere cum iucunditate, sive Doctrinā iucundā mores animorum ad rectam rationem deducere; propterea nec esse Poëtices finem, Imitationem. Neq; enim opponuntur, sed subordinantur, Imitari & Docere cum delectatione; quorum illud Poëtica Finis Medius & Officium

Obj.

Resp.

speciale, hoc Officium generale & Finis Ultimus, quodammodo rectè dicitur. Sicut ergo Doctrina Iucunda gratiā Poëtica Imitari docet, ut illos simul fines; alterum per alterum, intendat; ita sine ἐλέγχῳ dici nequit, è finium ordine alterum per alterum excludi, ut Ars hæc finem non habeat Imitationem. Mitto, commune Poëtica cum orationis artibus aliis, Docere & Delectare, peculiariter proprium illius finem nec posse dici. Nec valet (2.) Si Imitatio sola Poeseos finis est, & quicumque imitatur (puta, oratione quid effingens) est Poeta, fiet etiam Orator Poeta in Profopopæis, persona Socratica in Dialogis, Plato quoque in Legibus suis Poetas è Civitate excludens, quin & Institor in mercatu, quum heri iussa suis verbis explicabit. Namque primò, Oratoris Stylus multa sæpe à Poetis mutuatur; utpote (præter numeros, fabulæque per fictionem exempla & parabolæ) etiam quandoque audaciores profopopæas & hypotyposes, & vicissim Poeta ab Oratore orationum ideam accipit, quas Imitationi inserit; quippe artes usu conjungi, etsi præceptis discrepant, apud omnes est pervulgatum. qui Artificum sæpius, quàm Artium, concursus est. Sed tamen non rarò, Profopopææ stylis Oratoris & Poetarum, plurimum differunt: utpote illis semper in re, quæ reapse est, tantum probabiliter additis; his verò sæpenumero in merè fictis, quavis ratione possibili, effictis. Quare per Profopopæas quidam

dem *Oratoria* non fiet *Poesis*, cum usu eas assumat, non è *Poesi*, sed aliunde, nempe è *Rhetoricâ Styli*, quæ suæ artis propria non est, utpote ad *Oratoriam* ac *Poesin* æquè indifferens. ut ἐλέγχω, non minùs quàm priùs, peccatum hîc à *Scaligero*, negari sanè non possit. Deinde, *Dialogi & Colloquia*, sive *Platonis*, ut in *Personâ Socraticâ*, aut de *Legibus*, quibus *Poetas* suis legibus è civitate excludit, sive aliorum quorumvis; quando *Imitationes per verisimiles & necessarias circumstantiar oratione effingunt*, reverà sunt quædam *Poesis*, quia rem substratam ad *Poematis* leges representant. quin faretur hîc *Scaliger*, *Aristotelem Alexamenis Teji Dialogos*, solutâ conscriptos oratione de *Philosophiâ*, *Epopejæ* speciem fecisse. Vide *Aristot. Poët. c. 1.* Quomodo item ἐλέγχω eodem, quæ non pugnant, à *Scaligero* inter se committuntur. Demùm, *Poetam agi ab Instigatore*, heri jussa in mercatu verbis explicante, tunc verum foret, si illorum *Imitationem oratione*, hoc est, per circumstantias aptis verbis significanter expressas, effingeret. quâ in re principij sumtio manifesta est. Neque consequens est

(3) Quòd *Epicus*, sine in *Imitatione* posito, ubi introducet, *Poëta* erit; ubi loquetur ipse, non erit. Simul *Ilias & poëma* erit ex *personis fictis*, ex *Homeri personâ* non erit. Etenim, si *Imitationem rerum Epicus oratione effingat*, a què *Poëta* erit ipse loquens, ac *alias personas* introducens; ceu nec eadem de causâ *Homerus* in *Iliade*, minùs ex *personâ suâ*, quàm ex *fictis aliorum*, *Poëta* tueretur nomen. Id contra *Platonem* quoque de *Republ. l. 3.* notandum, qui *Narrationem sub personâ Poëta*, *Imitationem* nullam continere ait; etsi tamen ὁμιον, ceu oblitus suæ sententiæ, ibidem nominat. Etiam neque officit (4) Quòd *Lyrica, Scolia, Pæanes, Elegia, Epigrammata, Satyra, Sylva, Epithalamia, Hymni, alia; in quibus nulla exstat Imitatio, sed sola nudaque ἐπαγγελία*, id est, *enarratio & explicatio eorum*.

Obj.

Resp.

Obj.

Resp.

affectuum, qui ex ipso proficiscuntur ingenio canentis, non ex personâ pictâ (ut Scaligeri verba habent) eo modo in Poëmatum censu non reponerentur. Quippe supponis ratio illa absurditatem tergemina; scilicet, & quoddam Imitatio in nudâ inductione representationeque personarum colloquentium consistat, non a. effictione similitudinis oratione expressa in re quâlibet (quod utrumque supra §. 9. & 10. rejectum est) & quoddam poemata hic recensita, colloquentium personarum inductionem representationemque non habeant, sed solâ Poeta enarratione absolvantur. quo sanè Dialogicam Poësin, contra omnium Poëtarum exempla, & communem scribentium morem, ab ejusmodi Poëmatijs, non sine manifestâ falsatione, excludit.

13. Sed quoque de *Oratione, quâ Imitationes à Poëtis effinguntur, sententiarum divortio triplici pugnari solet; utpote, I. Numquid Carmine tantum seu Metro, an verò etiam Oratione solutâ, Imitationes effingi conveniat? II. Poësi nè tota ratio, & quasi forma, in Carmine consistat? III. Annonâ Magnificentiâ Styli Poësis forma deducenda? Primam controversiam, de Metri aut Orationis solutâ in effingendis Imitationibus libero usu, pro cuiusque instituto, ut necessariò ad Metri & Carminis leges Poësis adstricta non sit, cum auctoritatibus & exemplis, tum rationibus, expedire licet. Nempe (1) Aristoteles Poët. c.1. non solum *Epopœjam, sed Poësin quoque in genere, aut λόγους ψιλοῖς seu Oratione solutâ, aut Metro* effingere Imitationes asserit, disjunctione promiscuum usum utriusque innuens. Quam *disjunctivam* non advertens Casaubonus, de Satyric. Poës. ubi supra, *λόγους ψιλῆς* perperam de Poësi Homeri interpretatur; ut quam quidem Aristoteles Poët. c. 2. *ψιλομετρίας* vocat, sed ab eâ tamen τὰς λόγους distinguit ibidem. Imò contra Aristoteles, nullam inveniri posse *notionem communem*, Sophronis & Xenarchi *Mimis* Socraticisque *Sermonibus*, ait, nisi*

Poëma
æque O-
ratione
solutâ,
ac Car-
mine
scribi
potest,

nisi Oratio Poeticas Imitationes effingens, ad Orationem nudam & Metrum, hoc est, Solutam & Ligatam, sit indifferens. Consultes Commentarium meum hic in Analys. §. 7. Etiam hanc Aristotelis esse mentem, Casaubonus loc. alleg. non diffitetur. Nec diversa Verulamius de Augment. Scientiar. loco antè laudato, afferens, *Vera, inquit, narratio Carmine, & sôta Oratione solutâ conscribi potest.* Quod idem (2) *Exempla* variorum Poematum adstruunt, quæ *Oratione solutâ* ab auctoribus haud vulgaribus composita constat. Sunt autem talia; præter *Dialogos seu Colloquia* Græcis & Latinis copiosè olim scripta, aut nunc recentius à plurimis ad fictionis Poeticæ imitationem elaborata; *Cyropædia* Xenophontis (de quâ confer M. Ciceronem ad Famil. lib. 5. Ep. 12.) Petronij Arbitri Satyricon, Heliodori Historia Æthiopica, Apuleji Asinus, Argenis Barclaji, Achillis Tatij Fabulæ, aliaque complura. Sed & (3) *Argumento* illud patet haud obscuro: Si enim *Imitationes Oratione effingere*, Poeticæ rationem propriam, & quasi *formam*, constituit, quin æquè *Solutâ ac Ligatâ* Oratione id fieri possit, dubium non est. utraque enim pariter res imitandas designat, cum *voçs æquè rerum nota & signa sint, sive Sermonè nudo, sive Metro*, Imitatio effingatur. Absurditatis hanc sententiam quidem arguit Scaliger Poet. lib. 7. c. 2. quòd abductuse à Aristoteles, *εως* fecerit genus *Soluta Orationis*. Verùm enimvero, *Epopœjam* faciens Aristoteles communem *Sermonibus nudis & Metris*, hoc est, Orationi Solutæ & Ligatæ, ut *Genus per differentias & species* non dividit, sed ut *Subiectum per adjacentia*. Oratio quippe ad retractandas adsumitur, eisque adjacet, ut corpori induta vestis. Quare, nequè *εως* aut *Epopœjam* fecisse genus Solutæ Orationis, ille poruit aut voluit. Socraticis *Sermonibus*, & Alexamenis Teji *Dialogis* solutâ Oratione scriptis de Philosophiâ, ubi communem ait; illa inter se, ut *Poemata & effingens Imitationes*, confert, non ut *Orationes extra Imitationem*

Obi.

Resp.

nem. Scaliger itaque ἐλέγῳ ludit; aliàs diffiteri non ausus Poet. lib. i. c. 41. ut Oratio Oratori κατ' ἐξοχὴν attributa, omni hominum dictioni competit; ita Epos, quanquam per ἐπὶ τοὺς μὲτρας Daſylicis senarijs magniloquis attributum, dictionem in omnium locutioni communem esse.

14. Alteram circa Questionem, *Poesios* né tota ratio, & quasi forma, in Carmine consistat? miratur Casaubonus, superius indigitato loco parti agenti favens, jam olim naturam Poetica & legitimum ejus usum, ita non solum vulgò, sed summis etiam viris fuisse incognitum, ut planè in alijs Lyncei, in hoc videantur cæcutiſſe, etiam, *Poesios* rationem effingendis Oratione Imitationibus contineri, vulgi opinionem & ingentem errorem appellat, dignum quem in alijs docti potius corrigerent, quàm auctoritate nominis sui firmarent. At contra Aristoteles Poet. c. 1. *Vulgi opinionem* istam appellat, quæ *Poesios* rationem totam in Carmine constituit, eamque refellit tanquam receptam à multitudine vulgi, qui *Poesin* non aliud esse crederent, quàm λόγον ἔμμετρον; Somnes qui Orationem suam metro vincerent, quæcunque tandem de re scriberent, Poetas nominarent: ut Casaubonus, ibidem ut prius, pauld post refert. *Argumenta* verò, quibus hanc absurditatem eliminat Philosophus, sunt ista: (1) Si non ex Imitationibus Oratione efficitis, sed solo Metro & Carmine, *Poesios* ratio & forma deducenda foret, dicendi utique essent Poeta, quicunque Metro conveniunt cum Homero Poetarum Græcorum principe; adeoque Homerus, cum cæteris Carmen habens commune, nec præterea (positâ hæc ὑπὸ Θεῷ) aliquid peculiare quæ *Poesin*, & à cæteris distinctum, Poetarum princeps non esset: Quod ἡ ἑξοχὴ! idem de Virgilio, Poetarum apud Latinos principe, argumentum pari de causâ valet. quomodo etiam Physiologus Empedocles, qui Imitationes non effingit, tantummodo Metrum cum Homero commune habens, ambiguum eidem palmam faceret.

Pleriq;

Poesios
ratione
& formâ
Verſificatio
nō
constitu-
it.

Plerique omnes quippe *Metro pares* sunt, ut unus aliorum *princeps* illâ ratione dici nequeat. (2) Si *Metro sive Versu* censendus *Poëta* foret, non a. effingendis Imitationibus, dicendus sanè *Poëta* esset vel maximè, qui *Metra* permiscendo, mixtam rhapsodiam ex *metris* omnibus faceret; sicut *Chæremon* fecit *Hippocentaurum*, nullam effingendo Imitationem omnia *Metra* congerens, quod, iudicio saniorum omnium, deridendam absurditatem prodit. Confer de hisce *Arist. Poët. c. 1. & Commentar. meum ibid. in Analys. §. 8. seq.* (3) *Differentia Poëtices* ab artibus aliis si *penes Metrum* esset, utique *Herodoti Historia*, *Metro* seu *Carmine* reddita, *Poëma* foret. Atqui illa, minùs *Historia* non erit cum *Metro*, quàm sine *Metro*. ὁ γὰρ ἰσορκεὺς καὶ ὁ ποιητὴς, ἔ τῶ ἢ ἔμμετρα λέγειν ἢ ἄμετρα Διαφέρειν. ἀλλὰ τῆτω Διαφέρει, τῶ τὸν μετὰ τὰ γινόμενα λέγειν, τὸν δὲ οἷα ἀν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἶκος, ἢ τὸ ἀναγκάσιον, i. e. Etenim *Historicus* & *Poëta* non eo differunt, quòd cum *metro* aut *sine metro* dicant: sed hoc interest, quòd alter quidem facta dicat, alter verò qualia fieri deberent, & quatenus fieri possent secundum *Verisimile* aut *Necessarium*, *Arist. Poët. c. 9.* Sunt enim planè ἀσύστατα sive contradictoria, quæ *Scaliger* excipit in cap. cit. *Epinomidis*, ubi ait: Siquis *Herodoti* suavitates pedibus fecerit *numerosas*, *Historicum* *Poëtam* effici, & fore, si non *Historiam*, tamen *Poësim historicam*. Etenim, nisi de reddendâ *versibus* *Historiâ*, quæ *Poëticiis Circumstantiis* quadrat, intelligantur; quippe *Artes*, *Poëtica* & *Historica*, formis ab invicem differunt; explicari nequeunt. *Carmen* quidem *Historiæ Poëticum Numerum*, *Poësin a.* sive Imitationem non confert. Concludit ibidem, ὁ γὰρ ἐν ἐκ τῆτων, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, ὅσα ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ὄει, h. e.

Ex his igitur patet, Poëtam oportere Fabularum magis (i. e. compositionis materiæ) quàm Carminum esse Poëtam, quâ Poëta secundum Imitationem est. Simul ibi Instantia occurrit, sicubi contingat, Poëtam pro argumento Historiam assumere; καὶν ἄρα συμβῆ γενόμενα ποιῆν, εἶν ἡττον ποιητῆς δεῖ. Τῶν γὰρ γενομένων, εἴτι εἶδεν καλῶτε ποιῆντα εἶται, οἷα ἀν εἰκὸς γενέσθαι καὶ δυνατὰ γενέσθαι, καὶ ὁ εἰκὸς αὐτῶν ποιητῆς δεῖ, hoc est, sin igitur quoque incidat poëtari circa ea, qua verè facta sunt, nihilo minùs Poëta est. Eorum enim qua gesta sunt, nihil prohibet aliqua esse ejusmodi, qualia verisimile est utiq; extitisse, aut facta esse potuerint: secundum que ille istorum Poëta est. Adis Commentar. meum hìc in Analys. §. 1. & 3. Explicationem a. Casauboni, loco antea allegato; hìc intelligendum esse, Poëmatis Argumentum ab Historiâ petitum, cujus σύνθεσις est ab ingenio Poëta; ipse verborum contextus refertur, Historiam innuens, cujus circumstantia secundum Verisimile & Necessarium ex se coherent, non cui tales à Poëtâ affinguntur. (4) Numerus Orationis est affectio & proprietas Styli, ad ejusque artis, quæ de Stylo & Dictione generatim atq; in ideâ docet, spectat peculiùm. Confer Arist. 3. Rhet. c. 1. & 8. Ciceron. 3. de Orat. Quintilian. Inst. Orator. l. 9. c. 4. Carmen autem seu Metram, Numeri sive partem sive speciem Aristoteles constituit. Nempe 3. Rhet. c. 8. τὰ μέτρα ἴσθμι τμητὰ i. e. Numeri Segmenta, appellat. Et planiùs Poët. c. 4. τὰ γὰρ μέτρα, inquit, ὅτι μέρη τῶν ἴσθμιων δεῖ, φανερόν, hoc est, Metra enim Numeri esse partes sive speciem, manifestum est. Quare infert Verulamius, loco antè laudato: Carmen Sermonis quidam Character est & Scili genus, atque ut elocutionis formula quadam, ad artificia Orationis, non ad res pertinet. ut propterea Carmen sive Metrum, Poëtica formam non contineat, ceu à se artis

CAP. I. DE POETICES NATURA. 27

artis diversæ & alienæ, cui se tantum usu impertit. (5) Suffragatur huic causæ, etiam modernorum Poetica Scriptorum auctoritas. ita namque Buchlerus Inst. Poët. c. 2. Fingere magis, quam versificare, Poëtam reddit. Vidit hoc ipsum Germana natio (imò & Suecica) cui Poëma sonat Ein ges Dicht/ Poëta ein Dichter/ non autem Versmacher oder Kenner. At verò usus, quem penes arbitrium est. & jus & norma loquendi, Poëtam nominare consuevit, qui tm. nō runt metra funditare, quigz ev τῷ μιμίῳδαι nihil valent. Hos docti Versificatores vocant. quā de re, ibidem c. 3. hanc fert sententiam: Eisi enim Carmen ita à Poëtā suscipitur, ut omittere non liceat, ipsum tm. honorem, ac nomen Poëta, non magis cuiquam conciliat, quā corpus humanum cuiquam esse hominem, si animus consilij & intelligentia compos defuerit. hæc ille.

15. Objicit Calaubonus l. alleg. (α) Artes λόγον προφορ. Objec-
tiones &
Solutio-
nes, Obj.
εἰκὼν spectantes, tantum tres esse, & neminem Oratione uti posse, quin earum Artium ministerio adjuvetur. quippe, circa reitè & emendatè loquendi studium Grammatica, circa dictionem ornatam occupatur Rhetorica; Poëtica hoc amplius circa ἐμμέτρως τε καὶ ἐμμελῶς modulatam, atque, ut circulorum circa idem centrum major minorem complectitur, ita Rhetorica Grammaticen, Poëtica utramque intra se includit. hanc enim, non ἀπόβασις esse Grammaticæ vel Oratoricæ facultatis, sed utriusque ἐπανάβασις, ut quæ illas præsupponat, asserit ille ibidem. Verum respondetur; Sumtionem principiorum, & valde largam esse, & manifestam. Resp.
Primò namque, Poëtica Srmocinalis non est, quasi tantum circa λόγον προφορικὸν occupata, sed primariò & ex naturâ suâ τὸν ἴσω λόγον. effingendis Imitationibus perficiens, deinde τὸν ἕξω à Grammaticâ & Rhetoricâ Styli mutuatur.
D 2 Etiam

Etiam non est *Metrica* à Rhetoricâ Styli diversa, scilicet quam, ut *pars*, respicit. Quâ de re Gerhard. Vossius Grammat. part. 4. p. m. 136. tradit: *Doctrina de Quantitate Syllabarum, in arte Grammaticâ necessariò traditur; quia ad bene loquendum requiritur. Nec enim bene loquitur, qui in pronunciando, aut producenda corripit, aut corripienda producit. Verùm notitia Pedum, non pronunciationis, sed metri ergo addiscitur; quia omne Metrum ex pedibus constat. Quare Doctrina Metrica à pedibus, ut partibus, incipit: inde ad Metrum, velut totum, accedit.* Conferantur, Ramus, Talæus alijque, in Rhetoricis. Sicut igitur de *Pedibus in Doctrinâ Styli & Numeri Orationis* generali traditur, ita de *Carminè sive Metro, seu Numero Orationis Poëtico*, ibidem speciatim agi, consentaneum erit. Denique, etsi *Oratio Poëtica* Grammaticam præsupponit, quâ *congruentiam constructionum*; Rhetoricam verò Styli, quâ *ornatum*; item *Oratoriam facultatem*, quâ *effingendarum ideam Orationum*; non tamen *Oratio Metrica* Stylo Numeroque Oratorio, inventionem aut usum, posterior est, potius *hoc ab illâ* originem repetente & mensuram. Videbis Strabonem Geographic. Lib. 1. & ibidem Casaubonum in notis, Confer Fornel. Poët. 1. 3. c. ult. Indidem Casaubonus, (β) Aristotelis è 3. Rhet. c. 8. hæc objicit: διὸ ρυθμὸν δὲ ἔχει τὸ λόγον, μέτρον δὲ μή. ποιήματα γὰρ ἔσται. hoc est, *quare Numerum quidem habebit Oratio, Metrum verò non habebit, nè Poëma sit.* quasi hic certum statueretur discrimen inter *Orationem, quæ Poëma dici potest, & quæ non potest: ut Metrum sit proprium Poëmati, seu Rhythmus Dictioni soluta.* Unde Scaliger Poët. 1. 1. c. 2. & 1. 7. c. 2. ait: *Aristoteles, qui Versificatores à Poëta nomine summoveat, ὡς ἐποίησαν, inquit, ἐμπεδοκλῆς, Empedoclem quoque, qui nihil fingit, appellans Poëtam.* Itaque, licet ἀμετρος ποιητικῆ, qualis fuit Mimorum Sophronis, apud Aristotelem & Dionysium

nyfium Halicarnasseum legatur; *πεζὸν τὴν λόγον ἐμμετρον*,
 neque legi, neque dici posse. Sed *respondetur*, multiplici, *Resp.*
 in hoc argumento, errore ludj. *Initiò enim, Poësis & Poëma duplici accipitur sensu*, quatenus *ad Verba*, vel quate-
 nus *ad Res* respiciat, Verulamius de Augment. Scientiar. Lib. 2. c. 13. à quorum utroque, *Poëmaticis & Poeta appella-*
rio desumi solet. Quam litem ita censens absolvendam
 Masenius Palaëstr. Eloq. Ligat. part. 1. l. 1. c. 1. *Poëma*, in-
 quit, *homini simile esse statuero, quod suo quodam corpore,*
atque etiam animâ conficit. quarum partium, licet animâ
nobilior sit, vocis tamen appellatio potiùs corpori adhare-
scat, ut quod in sensu se primùm infert. Mortuo corpori,
hominis etiamnum vox tribuitur. Vulgo sufficit à signo ob-
vio nuncupationem sumere. Patet itaque, Poëmaticis atq;
Poësis acceptionem esse, aliam Popularem seu ἐξωπερικῆν,
aliam ἀκροατικῆν & Accuratam. Isto sensu priore, Ari-
stoteles hic intelligit μέτρον fierὶ πόινμα; non verò hoc po-
 steriore. *De propriâ enim, accuratâ & genuinâ, sententiâ*
cujuscunque auctoris, non ex sede materia tractanda alic-
nâ & peregrinâ, sed domesticâ & nativâ, judicandum est.
 ceu potiùs quoque, ex *Commentario de Poëtica*, quàm ex
Rhetoricis, Aristotelis mens in Poëtices negotio æstimari de-
 bet. *Præterea, cum Metra sint τμητὰ καὶ μόρια τῶν ῥυθμῶν,*
 id est, *Segmenta & partes sive species Numerorum*, asserente
 Arist. l. 3. Rhet. c. 8. & Poët. c. 4. non potest ex illis certum,
 ejusmodi discrimen statui, *ut Metrum sit proprium Poëmati,*
 ceu *Rhythmus Dictioni solute*; nisi simul & eâdem ex causâ di-
 catur, *Metrum Orationis solute speciem esse.* quod esse ἀσού-
 εστον, ipse etiam Casaubonus in *objectâ instantiâ* supponit.
 Deinde, *ut Sophistarum à Logicæ muneribus, et si illis ab-*
 uruntur, denominatio frequens est; pariter *Poesin falsam*
 seu *φανταστικῆν*, titulis ornare *εἰκαστικῆς & vera*, et si im-
 merito, vulgus assolet. Empedoclem enim, auctore Flacco
 in

in Arte vers. 455. seqq. non omnino laudatum fuisse Poëtam, vel palàm constat. *Populari* itaque ratione attributam ei *Poeta* & *Poesis* appellationem, etiam ab Aristotele (utcunque Scaligero videatur) quis mirabitur? *Denique*, *postulatum* est nimis quàm liberale, *ποιητικὴν* omnem *ἐμμετρον* esse; quomodo nec sequitur, *περὶ λόγον* aliquando *ἐμμετρον* posse dici, licet *ἄμετρος ποιητικὴ*, apud Aristotelem & Dionysium Halicarnasseum lecta, nobis adstructa & defensa fuerit.

16. *Ad disquisitionem demum tertiam, Annon Poësis à Magnificentiâ Styli formam & rationem habeat?* acris quorundam contentio est, requiri *orationem* minimè *vulgarem* sive *grandem elocutionem*, quâ Poëta cæteris excellat & distet. Nec dissentit Horatius Lib. I. Serm. Sat. 4. vers. 39. seqq. ubi ita: *Primum ego me illorum, dederim quibus esse Poëtas, Excerptam numero. neque enim concludere versum. Dixeri esse satia: neque si quis scribat, uti nos, Sermoni propiora, putes hunc esse Poëtam. Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os Magna sonaturum; des nominis hujus honorem. Idcirco quidam, Comædia, nec nè Poëma Esset, questvère: quod acer spiritus, ac vis, Nec verbis nec rebus inest: nisi quod pede certo Differt Sermoni, sermo merus. Et post: Non satis est puris versum conscribere verbis, &c. Quam in sententiam quoque B. Fornelius Poët. Lib. 1. c. 8. Dicendi modum, inquit, in Poëtâ ab alijs longè diversum animadverto. Et certè ab eo solo rationem propriam Poëta sumendam esse ego censeo. Et paulò infra: Quare est querendum, quod rationem Poëta determet, quod nec sit delectare, aut prodesse, sed majus quid atque prestantius, quod tamen non possit non delectare, aut prodesse. Idque esse ibidem, cum Ioviano Pontano, asserit, Appositè dicere ad admirationem. At contrâ Scaliger Poët. 1.7. c. 2. scribit: Frustra quoque alijs à rerum magnificentiâ Poëseos formam dedu-*

deduxere: sicut ij, qui Comœdiam Poematis appellatione indignam existimabant propter humilitatem: quorum errorem suo quoque loco susulimus. Indigitat enim Poët. l. i. c. 2. ista: *Quare dubitat Horatius, Comœdia sitne Poema? an quia humile, à Pœstas nomine iccirco amovenda? sanè judicium ineptum. Tantum enim abest, ut Comœdia Poema non sit: ut penè omnium & primum, & verum existimem. Decisionem hâc in recommodùm Casaubonus suppeditat, l. ubi prius, istam: Ut Rhetorica Elocutionis varij gradus sunt, varij characteres, varia denique ac multiplex differentia: ita etiam in Poeticâ eadem omnes diversitates possunt animadverti, suntque adeò à peritis dicendi magistris summâ curâ animaversa. Horatiana definitio ei Poësi convenit, quæ proportionè responderet Orationi Solutæ in sublimi genere versanti, verbis ac sententijs elaboratissima. ab hoc culmine potest Poësis, pro subjecti naturâ, vel scriptorum ingenijs, ad infima per gradus eisdem deduci: ita ut Poema ijs omnibus & verborum & sententiarum notis nudetur, quæ discrimen facere diximus inter utramque orationem, λόγον καὶ πῶδῆσιν, i. e. Characterem orationis Solutæ ac Poëticum. Quibus gemina habet Masenius Palæstr. Eloq. Ligat. part. l. i. c. 1. Illi (Horatius ejusque affecta) de Epicâ Dramaticâque Poësi agunt potius (velut præcipuis artibus Poëticae membris) quàm ut omnem universam Poësim spectent, quæ in Epigrammaticis atq; Elegiacis, tum Lyricis sæpe & Heroicis: ubi Hymni, Encomia, Saryra panguntur, fictione (sæpe etiam sublimitate Orationis) destituitur. à nobilioribus igitur Poëticae partibus ac functionibus Poëta appellationem ducunt; penè ut pictor, ex superiori hominis parte, illius figuram exhibet. Quorum auctorum ἐπίκειον veram esse, planissimè constat. Primò enim, Horatium præcipuè de Dictione & Stylo loqui verbis allegatis, & quæ ibi sequuntur, omnino liquet. quippe concludere versum, Sermoni propiora scribe-*

re, pμ.

Charas
ter Sty-
li in alio
atq; alio
Poematis
genere
est alius:
& Grâdis
Oratio,
primari-
as tm.
Poëstos
species
spectat,
sc. Epicâ
& Tragi-
cam.

re, puris versum conscribere verbis seu sermone mero, sermone pede certo differre, quæ à Poeta nomine & honore removet; item, os magna sonaturum, sique solvatur versus, disjecti membra Poeta habere, quibus Poeta astimat dignitatem: meræ Styli affectiones sunt, quibus Sublimis & Tenuis, etiam in versu, discrepant. Adis hic Paraphrasin Lubini. Deinde, etiam ratione Styli differre Poëmatum genera, ut Epigrammata, Sylvas, Panegyres, Satyras, Comoedias, Tragoedias, Epopœjas, &c. nemo, nisi in re Poëtica omnino peregrinus, diffitebitur, quorum aliquibus dictionis Character mediocris, alijs sublimis, quibusdam quoque Tenuis, ex sui naturâ congruit. Eodemque modo sententiam quoque suam explicans Fornelius Poët. Lib. I. c. 10. Dicendi modus, inquit, si simpliciter & in omnibus pulcher sit, valde rarus erit, & ferè unus. Quare neque Comoedia, neque Tragoedia, neque Ecloga, neque magna Lyricorum pars, pars Poëtica erunt. Verùm hîc cum simpliciter pulchrum sermonem dico, ita intelligi volo, ut pulchrum illud concordet tantùm & conveniat cum re, de quâ dicitur, & cum alijs adjectis, & non tantùm secundum se pulchrum sit. Sicut enim vestis aurea, quamquam per se pulcherrima sit, apposita tamen rustico, non modò decorem & ornatum non affert, sed & risum conciliat magis: ita & si rebus Comici majestatem Heroicam addas, omnia facies indecora. Quapropter hâc si concinnitate & convenientiâ omnia scribas, & Comoedia, & Lyrica, & alia partes erunt Poëtica, si simpliciter pulchra in eo genere tenueris. Genus autem universaliter & absolutè pulchrum ferè unum est, ut fortè Heroicum; per illud tamen non semper Poeta scribere vult, nec convenit, sed satis est illi, si simpliciter pulchrum in quolibet genere sectetur. Demum, vulgò Poetas ob grandiosem Stylium κατ' ἐξοχήν nuncupari, vel in trivijis innouit; unde tamen Poësis ratio, genuina aut universa, peti nequit.

Præstantissimo DN. ELISÆO *Hwal*

de Poëtica arte eruditè differenti:

Ceti in alto nunquam non versantur,

Et in latissimis aquis huc illocq; expatiantur;

Et, si Historicis credimus, Ludunt aliquandò cum doliis,

Acaquam per fistulam capitis emissam in sublime eructant,

&c. &c.

Sic Tu, *Hwal* Noster,

Ad Exemplum fortè illorum ad altiora adspiras:

In latifundio philosophiæ novas quasi sedes inquirens,

E Mulæo in Cathedram pergis,

Nec ex omni parte Diogenis dolium spernis;

Sed Plus olei quàm vini consumens

(Faxit Deus prosperè!)

Nunc in publico Doctrinã Tuã mentis emittes & eructabis.

Quippè

Balæna ut cursu æquare potest navium velocitatem;

Sic Te, cum pergis doctorum evolvere libros, illorum fa-

ta secuturum ominor.

Quod demonstrat clarè disputatio, quam defendere fortia-

nimo aggredieris.

Tibi itaq; gratulor, Tuãq; conamina laudo.

En quàm Tibi larga promittit præmia Pallas!

Perge modò, ut coepisti, & semper benè vale!

Utopstat, qui raptim, benevolè tamen, sic lusit,

Se aliàs Tibi obligatum reddens

CLAUDIUS Sparre E. F.

Ad Juvenem Literaturâ & Virtute politicissimum,
DN. ELISÆUM H B N H R / Ostro-Gothum,
Conterraneum per dilectum, de summis Poëticae Artis mo-
mentis disceptatione publicâ doctè differentem,

Σ Τ Ν Χ Α Ρ Μ Α .

Fama vetus fuerat, nec fors oblivio cepit
Te, Patriota; diu laudes viguisse Gothorum
Artibus atque armis: dum gens neque fortior ulla
Antiquis celebrata fuit, nec gloria scriptis
Cui major doctus, qua in secula sera perennet.
Hic ego te genitum constanter fortè negare
Terris, ingenium natalia semina si non
Proderet, & mores redolerent denique gentem,
Dum patrij candoris habes laudesque notasque.
Augeat spem nobis tantam fiducia capti
Illa tui; summis quia te committere rebus
Censendis audes, qua tot per secula multos
Vexaverè viros, doctorum lumina prima,
At quorum tetrus erroribus orbis adhesit.
Non apina & trica sunt ista Poëtica, quorum
Nunc ardes studio, doctâ sudare palastrâ
Contendens, & Apollineâ pugnare cathedrâ,
Qua Scaliger prator, censorque Casaubonus olim
Scita tenere iubent, tua demum Authentica tollit.
Ad leges Phœbi primas vafra iussa resingens.
Non hac, crede, suo tibi fructu cassa peribunt,
Os ut colloquis & lingua promptior usus
Expolit, ingenioque redit sacrata supellex.
Perge probis ausis, ut pergis! denique spera
Inque polo inque solo tibi pramia Olympionica!

Scriptit L. Mque
P R Æ S E S .